De Constitutione Epidemica, præcipue Stationaria,

Dissertatio Academica,

quam

Venia Experientiss. Facult. Med. Lund.

Præside

JAC. SÖNNERBERG,

Med. Pract. Prof. Reg. et Ordin. Fac. Med. h. t. Decan.

Pro gradu Doctoris Medicinæ

publice proponit

auctor

J. AUG. SANDEGREN,

Med. Lic.

Die XXV April MDCCCXL.

h. a. et p. m. s.

LUNDÆ,

typis excudit CAROLUS FR. BERLING,

Universitatis Typographus,

MDCCCXL.

De Constitutione Epidemica præcipue stationaria.

Nihil fere in vasto artis medicæ ambitu Medici practici magis interest, quam ut morborum constitutionem diligenter respiciat, hæc enim morborum characterem exprimit, atque normam constituit, ad quam morbi populares se fingunt; qua bene investigata illos et facilius dignoscere et aptius curare discat.

Morbos non eodem modo se semper habere, jam ab antiquissimis temporibus a sagacissimis medicis observatum est. Varietas quædam, diversis temporibus plus minusve manifesta, sæpissime fuit animadversa. Id sane rebus naturæ inest, ut non modo nihil in eodem perseveret statu, quin potius unicuique, qui naturam et singula, quæ complectitur, diligentius contemplaverit, permutatio quædam et vicissitudo appareat; quam vicissitudinis legem natura morbis quoque posuit. Etenim videre licet, quomodo generalis quidam morborum character per plures annos vel etiam decennia semper idem sit, cum vero ad certum culminationis gradum pervenerit, sensim mutatur atque recedit, ut in locum ejus alius, qui dominetur, succedat.

Natura morbi et interna conditio ab ejusdem facie externa probe est distinguenda; hæc enim est quasi umbra quædam vel in superficie posita nota characteristica, quæ genium certum morbi exprimit, qui, cum de morbis popularibus agitur, *genius epidemicus* nominatur. Hujus genii princi-

pium fundamentale, quod in læsa harmonia inter organismum humanum et potentias externas versatur, appellatur *Constitutio morborum* vel *Constitutio epidemica*. Quæ quidem est morborum originaria, diutius permanens latiusque patens, ratio occultior.

Huic coordinatæ sunt *Constitutio epidemica annua* et *Constitutio epidem. stationaria*. Illa anni temporibus eorumque permutationibus obnoxia est, adeoque brevioris durationis. Hæc e contrario a caussis efficacioribus et altius repetendis originem ducit, semperque per plures annos, quin etiam decennia sese extendit.

Ab utraque hac constitutione essentialiter differt alia morborum dominatrix, quam *Endemicam* dicunt. Ut vero illæ certis temporibus adscriptæ sunt, ita hæc ad locum restricta, certis et sibi propriis regionibus dominatur.

Quamvis Constitutio annua, suo anni tempore, et Const. endemica suo loco, in morbos suam exerceant vim, Constitutio tamen stationaria, quatenus tempore et loco longius extensa, utrique antecellit, morbisque peculiarem quemdam addit characterem, plus minusve manifestum. Mutua tamen ratione continentur, qua altera alteram per aliquod tempus haud raro silere cogit. Sic interdum accidit, ut e. gr. Constitutio epidem. station. a Const. endemica modificetur vel sublata esse videatur, vel quoque hæc ab illis e. s. p.

Si ad originem caussasque ejusmodi generalis morborum Constitutionis respexeris, antiquos et nostri ævi medicos valde inter se dissentientes invenies. Hippocrati [1]) caussæ gravissimæ rationibus atmosphæricis ut Thermometricis, Barometricis, Hygrometricis &c. inesse videbantur. Quemadmodum Hippocrates, ita recentiorum plures, eandem ex atmosphericis et telluricis caussis deductam voluerunt, ad quas tempestates, exundationes marinas, pluviam diuturnam, aërem humidum cum aquarum inundationibus, temperiem siccam cum æstu conjunctam, vehementes terræ motus in locis, ubi insoliti

---

[1]) Hippocrates. Aphorismi S. III. De arëre aq. et loc.

sunt, una cum permutationibus rerum electricarum et magneticarum &c. numerant.

Tempore, quo vigebat Astrologia, origo Constitutionis epidemicæ e caussis *cosmicis* petebatur, ex quibus conjunctio planetarum præcipuum erat momentum. Vim, quam in morborum constitutionem exercent astra, nostro tempore appobravit *Fr. von Hildenbrand* [2]).

Quin terra cum systemate solari intimo societatis vinculo conjuncta sit, dubitare non licet. Etiam facile apparet, omnes ad hocce systema pertinentes planetas, utpote totius partes, non modo propiori nexu cum communi centro, sole, contineri, sed etiam in se invicem dynamice agere. Facillime elucet, terræ circa solem anfractum permutationemque anni temporum, quæ inde sequitur, Constutitionis annuæ caussam fundamentalem esse [3]). Sic licet si non pro certo statuere, attamen suspicari, vim, quam in se invicem

---

[2]) *Franc ab Hildenbrand*, Animadversiones in constitutionem morborum station. ejusque cum siderum laboribus necessitudine. *Vindobonæ* 1831.

[3]) In hanc rem sic hebet Curtius Sprengel in *Institutionibus suis Pathologiæ Generalis. Amstelodami* 1813. Epidemicos morbos Stüzius non male in temporales et populares dispescuit: illos ex aëris atmosphærici labe, hos e victus ratione exponens. Aëris enim indoles tum annuas terræ conversiones, tum alias, et occultas partim, caussas mixtionis alienatæ agnoscit. Hinc quatuor anni tempora, si vulgari stipantur et temperie et aëris indole, peculiarem producunt Characterem, unde *annui* dicuntur aut *anniversarii.* Et memoratu dignissimum est morbos vernales et hyemales fere vel pituitosos vel inflammatorios esse, autumnales rheumaticos et catarrhales, æstivales vero biliosos. Quæ quidem indoles per plerasque Europæ partes dominatur, ut jam ab Hippocrate Coo in insulis Archipelagi et ad oras Thraciæ Macedoniæque observata fuerit. Sed mutatur tamæn non raro caussis variis, interdum reconditis, nonnumquam vero manifestis. Si hyemis e. gr. constitutio tepida fuerit et pluviosa, inflammatorii morbi rariores sunt, pituitosi contra et nervosi freqventiores. Si æstas frigida et ventosa, morbi vernales producuntur in æstatem, aut autumnales rheumatici etiam grassantur. Præter aëris manifestas qualitates, altior autem et cosmica caussa accusanda, cum iidem fere sint anniversarii morbi per varias mundi partes, neque cum mutato anni tempore jugiter mutentur.

exerceant planetæ, in constitutionem stationariam, quamvis occulte, tamen maxime agere. Hæc vero ratio exacte determinari nequit, nisi quis somniis astrologicis implicari voluerit.

Aliud etiam se offert caussarum genus, quod quidem ab hominibus ipsis pendere judicetur. Graviores, qui in orbe terræ obveniunt casus, ut bella, revolutiónes, calamitates publicæ et aliæ res concutientes, quæ populum invadunt, nec non victus ratio, mores ætatis &c. sunt omnino momenta, quæ in communi, ut ita dicam, vitæ œconomia primas agunt partes, quare per se patet, vim, quam in valetudinem hominum generaliter exserunt, dignissimam esse memoratu.

Neque tamen peculiaris quædam harum, quas enumeravi, cum externarum tum internarum caussarum, generalem constantemque procreat morborum constitutionem; hæc enim originem suam a pluribus conjunctis et alte insitis habet. Ejusmodi Constitutio non subito et semel prodit, sed momenta quædam præformantia, quæ eidem quasi viam aperiunt, et partim in populorum vitæ conditione dispositioneque, partim in rebus externe afficientibus, semper apparent. Hæcce constitutio diende magis magisque stabilitur, donec ad novam constituendam alius rerum status prævaleat.

Ut singularibus morbis, sic etiam constitutioni epidemicæ sua sunt stadia, *incrementum*, *fastigium* et *decrementum*. Qui vero circuitus jam plus jam minus manifestus est et determinatus. Haud raro quidem accidit, ut intermissiones exsistant, cum tamen occultior constitutionis indoles non cesset, sed dominetur, simul ac res inferioris ordinis afficientes agere desierunt. Ea nihilo tamen minus incidunt tempora, quibus hæc ipsa constitutio, licet diligentissima adhibita sit observatio, cognosci non possit; id quod tunc accidit, cum jam in eo est, ut in aliam transeat.

Si annales medicinæ historiæ consulentes, ex initio sæculi proxime prætерlapsi ad tempus, quod jam teritur, cursum dominantis constitutionis epidemicæ stationariæ sequi velimus, memorabilis sane ratio nobis apparebit, non modo ideo, quod eadem constantes mutationes subierit, sed

etiam quod principales Scholæ medicæ originem suam a diverso illo charactere duxerint, quem hæcce Constitutio diversis temporibus expressit.

Primo temporis spatio ab anno 1700 l. paullullum posterius ab anno 1707 usque ad 1722 [4]), character morborum *inflammatorius* dominabatur. Non modo in morbis, qui proprie ita dicuntur, inflammatoriis, sed etiam in aliis, major quædam phlogosis luculenter apparuit. Quin etiam ut pestis, quæ hoc tempore in Svecia pariter ac in tota fere Europa grassabatur, ope remediorum antiphlogisticorum tracteretur necesse fuit.

Stahl, qui eodem tempore suam Theoriam medicam edidit, primariam morborum caussam in sanguinis abundantia, quæ in plethora et congestionibus cernitur, ponendam judicat [5]), quare præcipuum, quod adhibuit remedium, erat venæsectio, neque solum in febribus, sed etiam in morbis spasticis et nervosis in genere. Quum jam sibi persuasum haberet, in corpore humano majorem sanguinis copiam procreari, quam quæ opus esset, etiam pro certo statuit, fluxum hæmorrhoidalem esse utilem necessariamque sanguinis evacuationem, atque in sexu virili menstruationi mulierum congruum.

In locum hujus morb. Constitutionis inflammatoriæ succedebat *nervosa*, attamen non simpliciter nervosa i. e. ejusmodi, qua unica tantum systematis nervosi pars, scil. l. cerebralis l. gangliosa erat affecta, sed hæcce Constitutio utramque invasit. Signa hujus jamjam in fine prioris apparebant; morbi spastici, qui tunc ubique grassabantur e. g. Colica pictonum, Tussis convulsiva &c. quasi transitum in hanc malignam nervosam Constitutionem constituerunt [6]). Hujus typus fuere ex anno 1722 fere ad 1736 frequentis-

---

[4]) *F. Schnurrer* Chronik der Seuchen, in verbindung mit den gleichzeitigen Vorgängen in der physischen Welt, und in der geschichte der menschen. *Tübingen* 1823—24. conf. c. *Bartels* Die gesammten nervösen fieber &c. nebst den Fieberseuchen und wechselfiebern *Berlin* 1837.

[5]) Theoria Med. *Halæ* 1708 pag. 638.

[6]) *Bartels* pag. 462.

simæ istæ febres *intermittentes malignæ*, *perniciosæ*, *soporosæ*, *comitatæ*[7]) &c. quæ plerumque Suethice *dödsfebrar* et germanice *Todtenfieber* apellabantur. Hicce malignus morborum character se cum morbis cujuscumque generis conjunxit, unde *febres intermittentes larvatæ* ubique apparuere, non solum in paludosis et intermittentibus favorabilibus locis, sed etiam in iis regionibus, quibus antea perpetua viguerat salubritas, neque ullæ umquam innotuerant febres intermittentes.

Circiter annum 1736 nova exorta est Constitutio, quæ quidem communi affectione morbosa et erethismo in membranis mucosis insignis erat. Jam in fine proxime præterlapsæ periodi morbus quidam, qui nominabatur *Influenza*, totam Europam epidemice pervasit, hunc *Anginæ*, *Dysenteriæ* et *Diarrhoæ*, *Catarrhi* tenaces et sæpe redeuntes consequebantur; hæc vero periodus febribus mucosis, ubique obviis, præcipue erat distincta, quare Constitutio morb. jure *mucosa* appelletur[8]). Sæpius tamen quam ulla earum, quæ supra expositæ sunt, ab intercurrentibus morbis varii generis fuit abrupta.

Cum hic character mucosus circiter annum 1764 desiisset, *gastricus*, qui dicebatur, vel rectius forsitan ut Bartels[9]) videtur, *Bilioso-putridus* exortus est. Hoc nimirum tempore character vel *gastricus* l. *gastrico-biliosus* vel *putridus* ubique dominabatur et inter se invicem magis magisque conjuncti erant. Illustrissimus ille, tum temporis Vindobonæ Professor, *Maximil. Stoll* plurimorum morborum caussam primariam deductam voluit ex abundantia vel acrimonia bilis, ejusdemque congestione in varias corporis partes; sic e. g. Apoplexiam, Epilepsiam, Insaniam &c. exoriri e bilis congestione in cerebrum judicabat, pneumoniam atque hæmopthysin in pulmones, amaurosin et cataractam in oculos e. s. p. *C. G. Selle*[10]) nullam febrem remit-

---

[7]) P. G. *Werhlofii* Opera Medica coll. *Wichmann Hannov.* 1775.

[8]) *Bartels* pag. 463 Conf. c. Sprengel, Versuch einer pragmatischen Geschichte der arzneikunde. 5 theil pag. 493. *Halle* 1803.

[9]) *Bartels* pag. 465.

[10]) Rudimenta pyretologiæ methodicæ. *Berolin.* 1789.

tentem nisi gastricam et hecticam esse statuit; et *Joh. Kämpf* in suo de infarctu et clysmatibus visceralibus tractatu ostendit, quantam vim haberet Gastricismus in morbos, qui tunc grassabantur. Præter huncce characterem *gastrico-biliosum*, inclinatio in *putredinem* luculenter eminebat, id quod etiam materiam *C. L. Hoffmanno* præbuit, ut omnes morbos e depravatis humoribus deductos vellet.

Anno fere 1786 locum hujus constitutionis alia obtinebat, quæ quasi nexum inter utrumque sæculum constituit. Quæ interea maxime vexabatur pars corporis humani fuit systema nervosum cerebrale, et frequentissimi morbi erant febres nervosæ cerebrales, quæ singulari puritate eminebant. Ejusmodi constitutionem cum adynamia et asthenia plerumque comitantur, haud difficile est intellectu, quare hac in periodo Theoria incitationis Browniana permagnam meritamque sibi conciliarit auctoritatem, cum eadem e contrario, priusquam hæc morborum constitutio exstiterat, aut exiguam aut plane nullam adepta esset approbationem.

Hanc constitutio morborum *inflammatoria* depulit. Neque in dubium vocari potest, quin bella, quibus tota fere Europa hoc tempore vexabatur, ad hanc eliciendam magnopere valerent. Sublimiores animi motus e. g. fortitudo, virtus bellica, famæ quærendæ cupido &c. exsuscitati sunt animosque inflammabant, unde vehementior vitalitatis contentio secuta est, et constitutio inflammatoria magis magisque prævalere cœpit. Cum antea Camphora, Æther, Opium e. s. p. primaria fuissent medicamina, jam hirudines, venæsectiones et antiphlogistica adhiberi necesse fuit.

Hac constitutione nitebatur Theoria pariter ac curandi methodus, quam proposuit Broussais, ejus tamen argumenta ad localem affectionem inflammatoriam sese præcipue referunt, et *gastro enteritis Broussaisiana* quasi transitum ad sequentis periodi morborum characterem abdominalem enuntiat, qui hoc nostro tempore et præcipue post annum 1825 prævaluit. Hanc tamen affectionem abdominalem non inflammatoriæ, sed nervosæ indolis esse compertum habemus et ad systema gangliare se referre. Plures eandem

judicarunt gastricam, cujus speciem sæpe præ se tulit; atque cum systema gangliare sit vexatum, quod functiones viscerum obdominalium moderatur, perturbationem harum functionum exsistere, atque adeo gastricismum apparere, per se patet.

Hujus vero constitutionis character primarius plus minusve *nervosus* semper fuit, morbique, quos varii auctores varie nominarunt, e. g. *Typhum abdominalem*, *Typhum gangliarem*, *Febrem nervosam abdominalem*, *intestinalem*, *enteriticam* &c. qui quidem annis proxime præterlapsis ubique sunt observati, possunt omnes ad hanc constitutionem *abdominali-nervosam* referri. Eadem etiam maxime erat idonea ad Choleram Asiaticam excipiendam, quæ hac ipsa periodo non modo Europam, sed totum fere orbem vexavit.

Constitutionem autem nuperrime allatam, ad finem et exitum vergere, exinde colligi licet, quod quindecim annos jam duravit, atque ad eas, quæ supra commemoratæ sunt, si respexerimus, facillime inveniemus, numerum medium anno vigesimo circumscriptum fuisse, quippe cum aliæ diutius permanserint, aliæ vero non ad hoc temporis spatium pervenerint.

Quanti intersit medici, ne opinionibus, a systemate quodam singulari collectis, temere adsentiatur atque adhæreat, hinc facile elucet, Natura erit studium, cui incumbat medicus, quare hæc inclytissimi Hufelandii verba: "*Was sich im Umgang der Natur, und in ihrem Anschauen entwickelt, hat mehr Werth als alles Erdachte oder Entlernte. Das allein hat nur wahres Leben d. h. den Geist der Natur, und ist so ewig wie sie* —" [11]) probe teneat.

---

[11]) Enchirid. Med. pag. 80.